

A sobrietatemque mentis, à malitia nequitieque fermento ad veritatem & sinceritatem. Regeneratis itaque dicitur: Mensis hic vobis initium mensium: primus est vobis in mensibus anni. Derelinquit enim & deserit qui abluatur, intelligibile illum pharaonem principem istius mundi, dicens: Abrenuncio tibi diabolo, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis. Nec iam feruiat ei vel terrenis huius corporis passionibus, vel deprauatae mentis erroribus: qui demerit omni malitia vice plumbi, bonis operibus dextera leuaque munitus, in offenso seculi huius freta studet transire vestigio. In libro quoque qui in scribitur de Numeris, ait scriptura: Initium nationum Amalech, & semen eius peribit. Et vtrique non omnium nationum primus est Amalech, sed quia per interpretationem Amalech rex accipitur iniquorum, iniqua autem gentes sunt: vide ne principem mundi huius accipere debeamus qui imperat nationibus voluntatem suam facientibus: cuius semen peribit. Semen autem eius impij & infideles sunt, quibus ait dominus: Vos ex patre diabolo estis. Est etiam initium mysticum, vt illud est: Ego sum primus & nouissimus, initium & finis. Et illud in euangelio praecipue, quod interrogatus dominus quis esset, respondit: Initium, quod & loquor vobis. Qui vere & secundum diuinitatem est initium omnium, quia nemo ante ipsum: & finis, quia nemo vltra ipsum: & secundum euangelium initium est viarum domini in opera eius: vt per ipsum disceret hominum genus vias domini sequi, & operari opa dei. In hoc ergo principio, id est in Christo, fecit deus caelum & terram: quia per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat: quia in ipso consistant omnia. Et ipse est primogenitus omnis creaturae, siue quia ante omnem creaturam, siue quia sanctus, quia primogeniti sancti sunt, vt primogenitus Israel: non quia ante omnes, sed quia sanctior ceteris. Sanctus autem dominus supra omnem creaturam & secundum corporis susceptionem, quia solus sine peccato, solus sine vanitate. Omnis autem creatura subiecta vanitati est. Possumus etiam intelligere, In principio fecit deus caelum & terram, id est ante tempus: sicut initium viae, nondum via: & initium domus nondum domus. Denique alij dixerunt *ἡ κεφαλαια*, quasi in capite, quo significatur in breui & in exiguo momento summa operationis impleta. Sunt ergo & qui principium non pro tempore accipiunt, sed ante tempus, *ἡ κεφαλαια* vel caput: vt dicamus latine quasi summam operis, quia rerum visibilium summa caelum & terra est, quae non solum ad mundi huius spectare videntur ornatum sed etiam ad iudicium rerum inuisibilium, & quoddam argumentum eorum quae non videntur, vt est illud Propheticum: Caeli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Quod secutus Apostolus alijs verbis in eadem conclusit sententia, dicens: Quia inuisibilia eius per ea quae facta sunt intelliguntur. Auctor enim angelorum & dominationum & potestatum facile intelligimus eum qui momento imperij sui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse quae non erat, & non de extantibus aut rebus aut causis donauit habere substantiam.

Quod hic mundus diuinae sit speciminis operationis, ac diuinae maiestatis insigne. Quodque filius imago sit dei, & splendor paternae gloriae. Et quod per ipsum & in ipsum creata sint omnia. Caput V.

ST ergo hic mundus diuinae speciminis operationis: quia dum opus videtur, praefertur operator. Namque vt illarum artium aliae sunt actioes, quae sunt in corporis motu, aut sono vocis: cessauit motus aut sonus, nihil superfluit nec remansit spectantibus vel audientibus: aliae theoreticae, quae vigore mentis exerceant, aliae huiusmodi vt cessante

quoque operationis officio, operis munus appareat, vt D aedificatio atque textura, quae etiam tacete artifice peritiam eius ostendant, vt operatori operis sui testimonium suffragetur: Similiter etiam hic mundus diuinae maiestatis insigne est, vt per ipsum dei sapientia manifestetur. Quem videns Propheta, simul & ad inuisibilia oculos mentis attollens, ait: Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Nec ociose vtrique factum legitur: quia gentiles plerique qui coeternum deo nondum voluit esse, quasi adumbrationem virtutis diuinae asserunt etiam sua sponte subsistere: & quauis causam eius deum esse fateantur, causam tamen factam volunt non ex voluntate & dilpotione sua, sed ita vt causa vmbrae corpus est. Adhaeret enim vmbra corpori, & fulgori lumini, naturali magis societate, quam volutate arbitra. Pulchre ergo ait Moyses quia fecit deus caelum & terram. Non dixit quia subesse fecit. Non dixit quia causam mundo vt esset praebuit: sed fecit quasi bonus quod foret vtile, quasi sapiens quod optimum iudicabat, quasi omnipotens quod amplissimum prauidebat. Quomodo autem quasi vmbra esse poterat, vbi corpus non erat, cum incorporei dei corporea adumbratio esse non possit? Quomodo etiam incorporei luminis splendor possit esse corporeus? Sed si quavis splendore dei, filius est imago dei inuisibilis. Qualis ergo deus est, talis imago. Inuisibilis deus etiam imago inuisibilis. Est enim splendor gloriae paternae, atque eius imago substantia. In principio, inquit, fecit deus caelum & terram. Et factus est ergo mundus: & coepit esse, qui non erat. Verbum autem E dei in principio erat, & erat semper. Sed etiam angeli dominationes & potestates est: aliquando coeperunt, erant tamen iam quando hic mundus est factus. Omnia namque creata & condita, sunt visibilia & inuisibilia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia inquit, per ipsum facta sunt, & in ipsum creata sunt. Quid est, in ipsum creata? Quia ipse est haeres patris eod quod a patre in ipsum transierit haereditas, sicut pater dicit: Posce a me, & dabo tibi gentes haereditatem tuam. Quae tamen haereditas a patre transit in filium, & in patrem reuertitur a filio. Egrege itaque apostolus & hoc loco filium dixit authorem omnium, & maiestatem suam continentem omnia. Et ad Romanos de patre ait: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso principium & origo substantiae vniuersorum, id est ex voluntate eius & potestate. Omnia enim ex eius voluntate coeperunt, quia vnus deus pater, ex quo omnia. Etenim ita quam ex suo fecit: quia vnde voluit fecit, Per ipsum continuatione, finis in ipsum. Ex ipso ergo materia, per ipsum operatio quae ligauit atque costringit vniuersa. In ipsum quia & quandiu vult omnia eius virtute manent atque consistunt, & finis eorum in dei voluntate constituit, & eius arbitrio resoluantur.

Quod in principio temporis caelum & terram deum fecisse, ad presentem sufficiat assertionem, & cur auctor prolixiorum vitauerit collectionem. Quae de qualitate & substantia caeli, terra quoque vel qualitate vel positione, satis sit ad scientiam quod scripturarum diuinarum series comprehendit, eod quod nihil proficit ad spem futurae vitae discutere vel enumerare ea quae in disputationibus suis philosophi se mutuo refellentes texerunt. Caput VI.

N principio itaque temporis caelum & terram deus fecit. Tempus enim ab hoc mundo, non ante mundum. Dies autem temporis portio est, non principium. Et quamquam lectionis serie possimus astruere, quod primo die die fecerit dominus & noctem, quae sunt vices temporis, & secundo die firmamentum fecerit quo discreuit aquam quae sub caelo est, & aquam quae super caelum: tamen satis est ad praesentem assertionem, quod in principio caelum fecerit.